

SBd

E libris
gymnasio Mauritano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

PROFESSOR ACADEMIAE IENENSIS
MICHAEL FORTSCHMIDT
SACRAVM LITTERARVM DOCTOR ET PROFESSOR
PROGRAMMA

IN

EXSEQVIIS

NOBILISSIMAE ET VIRTVTVM LAVDE
ORNATISSIMAE MATRONAE

MARIAE SOPHIAE
WVCHERERIAE

NATAE

KRAVSOLDIAE

P. P.

IN ACADEMIA IENENSI.

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

PRORECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MICHAEL FOERTSCHIVS,

SACRARVM LITTERARVM DOCTOR ET PROFESSOR
PRIMARIVS, ORDINIS THEOLOGICI SENIOR ET CIVIVM ISENACEN-
SIVM IN HAC ACADEMIA INSPECTOR

CVM PROFESSORIBVS RELIQVIS

S. D.

CIVIBVS.



Væ in matronis præsertim laudari debent, ista neque ambitio fruit, neque voluptas ponit æstimatque, quippe quæ deliciae animum produunt a virtutis studio alienum, mollem ostendunt petulantiam, ac quum sola fortunæ vi regantur, consumi possunt ve-
tustate. id merito feminis in laude ponimus, quod hunc vitæ modum sequuntur, vt decore virtutum firmis radicibus defixarum, quas nullus fatorum impetus frangere, nulla illecebra mutare, nulla fallax persuasio euellere potest, niteant, omnesque actiones dei cultu, iustis moribus, pudicitia ac pudore metiri sollicita elaborent cura. cuiusmodi veram ac solidam existimationem comparauit sibi MARIA SOPHIA WCHERERIA, quæ matrona recti exempli, religione, probitate aliisque ornamentis eluxit ac decentem vxoriam dignitatem cultum indefessa industria obseruauit, vt quamuis ipsius funus nunciemus inuiti; recordatione tamen virtutum delectemur maxime. eius ortum Vinaria, quæ per aliquot secula serenissimis Principibus sedem præbuit, sibi vindicat, vbi suscepta est in lucem anno recuperatæ salutis MDCLIII. d. x. febr. ac parentes habuit multis naturæ fortunæque bonis

bonis egregios, IO. HENRICVM KRAVSOLDVM, in senatu oppidano Vinariensi Syndicum ac causarum forensium patronum eximium; matrem vero ANNAM ELISABETHAM ROEHNERIAM, ornamentis, quæ in eum sexum cadunt, cumulatissimam. mox reipublicæ christianæ mylteriis initiata, cura horum parentum ad veram firmamque pietatem instituta, ipsa se ad culturam ingenii ac mentis excitauit & ad veræ felicitatis possessionem studiose diligenterque contendit. quæ bona naturæ vis quum hac proba ac prudenti educatione esset erecta ac confirmata, suauissimos ac pulcherrimos tulit fructus, ita vt assidua operaretur sacris, parentibus præstaret officia atque illorum imperata faceret promte, etiam per humanitatis atque honestatis decus, quod retinebat, aliorum conciliaret sibi fauorem. atqui his virtutum studiis efficiebat, vt vir nobilissimus atque amplissimus IO. FRIDERICVS WUCHERER, qui tum epistolis auctoritate regiminis serenissimi Ducis Meinungenfis conscribendis præerat; posthac autem quæsturam Ienensem administrabat, istam præ aliis vitæ rerumque omnium sociam deligeret. quæ quum ipsi, peractis anno MDCLXXXI. d. IIII. octobr. Ohrdruffii nuptiarum solemnibus, in matrimonium esset collocata, maritum omni fide atque amore coluit ac obseruauit, etiam dato fecunditatis experimento nomen ac genus Wuchererianum propagauit felicissime. quamvis enim ex quinque liberis, quos ex ista susceperat, unica filia MARIA SOPHIA, ac filius GEORGIVS WOLFFGANGVS moriendi conditionem iam expleuerint; tres tamen adhuc filii in viuentium societate versantur, viri excellentissimus IO. FRIDERICVS, qui heic doctrinam rerum naturæ publice profitetur, collega multo coniunctissimus; nobilissimus HENRICVS BERNHARDVS, illusterrimo Comiti Oetingensi a consiliis atque experientissimus CHRISTIANVS LVDOVICVS, medicæ artis doctor

doctor atque oppidi huius physicus dexterrimus, qui coniuges parem fidem atque mutua amoris officia inter se colebant, ita vt animorum foedere atque honestarum cupiditatum societate essent coniunctissimi: quapropter tristi mariti iactura, quæ anno MDCXCVI fiebat, nostram perturbauit animumque ita concussit, vt ægre dolori, quem acerbissimus hic casus adtulerat, resisteret. neque tamen mœrore penitus deiecta fuit; sed quod sciebat, deo auctore secunda aduersaque euenire, sortem hanc duriore constanti ac forti animo tulit, ac vidua honestissimam duxit vitam, & ad cultum dei, res domesticas, inprimis æternam animæ felicitatem omne studium diligentiamque adhibuit. morbo tentata, mente placida semperque tranquilla fuit, quumque per imbecillitatem naturæ experientissimus IO. IACOBVS FICKIVS, collega noster ætumatissimus, nec non defunctæ filius D. CHRISTIAN. LVDOVICVS WUCHERER vires de integro firmare haud possent, contulit sese ad deum ac spei rerum cælestium admouit virum summe reuerendum D. IES. FRIDERICVM WEISENBORNIVM, qui porrecto sacro viatico aditum nostræ ad cælum patefecit. quum igitur vltimas christianæ pietatis partes expleuisset, haud de rebus caducis; sed tantum de vita æterna sine metu & perturbatione cogitauit, etiam in amore seruatoris defixa pio mortis genere d. II. decembr. mortalitatem suam finiuit. VOS, CIVES, faciatis, vt hodie ab hora I. vestra præsentia cum funeris honor ornetur, tum splendidæ familiæ dolor per hoc vltimum officium leniatur. P. P. sub. acad. sigil, d. XXVIII. decembr. anno salutis christianæ

M D C C X X.

78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
coll. nicht vergeben!



Sb.

1077

R.40



PROGRAMMA
IN
EXSEQVIIS

NOBILISSIMAE ET VIRTVTVM LAVDE
OR NATISSIMAE MATRONAE


AE SOPHIAE
CHERERIAE

NATAE
RAVSOLDIAE

P. P.

CADEMIA IENENSI.

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.



AK